



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

3. Mandatum Ejusdem Alectensis Episcopi contra D. de Foix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Documentum III.

Mandatum Episcopi Alectensis contra D. de Foix, quo monitiones canonicae decernuntur ad effectum, ad Declarationem Excommunicationis procedendi.

Nicolaus DEI miseratione Episcopus Alectensis, omnibus Dicecessis nostræ fidelibus Salutem & Benedictionem à Domino nostro Iesu Christo. Quoniam intelleximus Joannem Petrum Gaston de Foix Dioecesis Couteraensis Presbyterum, Decaniam & Canonicatum Ecclesiarum Cathedralis titulo Regaliae obtinuisse, spatio decem & suprà annorum à Petro Pommier Capituli dictæ Ecclesiarum Decano pacificè possessum, sèque in Possessionem ejusdem Beneficij ingressisse, ac etiam Nonæ, & Vesperarum Divinis officijs sub ea qualitate & charactere interfuisse, prætendatque omnes deinceps sæpèfati Beneficij functiones peragere; id verò manifesta sit Mandati nostri infra dictio die 5. Maii Anno 1676. emissi, eique hesternâ die debito modo legitimeque insinuati; quo eidem aliisque omnibus districtè prohibuimus, ne se Beneficijs nostræ Dioecesis, obtentu Regaliae ingerere auderent, idque sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ. Ipse verò Joannes Petrus saluberrimas exhortationes nostras neglexit, quibus dum heri nos conveniret, in spiritu lenitatis, & charitatis delinire eum conati sumus. Id autem, cùm non solùm in Ecclesiarum contemptum cedat, verùm etiam facrorum Canonum Decretis, receptisque in hoc Regno legibus adversetur, quibus sanctum est, neminem solius Regaliae titulo, suis Beneficijs, quibus pacificè fruebatur, spoliari posse, nisi priùs coram legitimo Judice conventum damnatumque, adeò

B b

ut

Gallia
indicata
G III
23.

194. Dissert. I. § VIII. Documenta ex Gallico
ut hujusmodi violentis conatibus non solum jura libertatis
que Ecclesia nostra pessimum dentur, ac Censuræ in Lugdu-
nensi Concilio super hac re fulminatae ludibrio habeantur,
(cujus quidem Concilij Decreta declarata solum nupero
Mandato à nobis sunt, ac præsenti casui applicata) verum
etiam, ut diximus, legibus in nostro Regno receptis observa-
tisq; injuria fiat. Has inquam ob causas, utque Mandato no-
stro, Decretoque Concilij Lugdunensis, cuius initium est:
Generali Constitutione: satisfiat, monitiones Canonicas contra
sæpedictum D. de Foix expediri jubemus; eique virtute ca-
rundem monitionum, ne se præfato ingerat Beneficio, sed
Decretis Concilij Lugdunensis, nostroque nupero Mandato
primum obtemperet, serio injungimus. Si verò ob-
temperare neglexerit, declaramus eum publicè fore de-
nuntiandum, atque Excommunicandum; imo Excom-
municationem à Lugdunensi Concilio, nostroque Mandato
impositam, ipso facto incurrisse. Quæ quidem monitiones
de tertia in tertiam diem eidem insinuabuntur, ita videlicet,
ut præsentes nostræ, postquam ei significatae fuerint,
locum primarum monitionum obtineant. Injungimus
etiam primo Presbytero, aut Clerico tonsurâ insignito, ut
quidquid ad insinuationem, aut executionem præfensis
hujus nostri Mandati necessarium fuerit, diligenter, acque
incunctanter expeditat. Dataæ Aleæti in Ædibus nostris
Episcopalibus 17. Octob. 1676.

(L. S.)

Nicolaus Episcopus Aleætensis.
& infra.
Ex Mandato Illustrissimi
Mercier.
Docu-